



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXX. De Officio Legati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

TITVLVS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.



Italus iste meritò hîc interponitur, quia Legatus Apostolicus partim cum delegato Iudice cõuenit, partim cum Ordinario; quamuis absolutè loquendo officium eius ordinarium sit, sicuti Proconsulis, aut Præsidis prouinciæ officium, de quo lib. 1. ff. tit. 16. & 18. & videri potest c. 2. eod. tit. in 6. Loquimur autem de Legatis Sedi Apostolicæ, qui ad prouinciã aliquam gubernandã cum iudiciaria potestate destinantur: Non item de legatis seu nuntijs, qui ad certum negotium expediendum mittuntur. De quibus Syl. ver. delegatus n. 16.

CAPITVLVM I.

Cùm non ignoretis.

PARAPHRASIS.

Si Archiepiscopus aliquis dignitati ac sedi suæ Apostolice Legati munus annexum habeat, licet vt Metropolitanus causas eorum, qui Suffraganeis suis subditi sunt, cognoscere nequeat, nisi per appellationem, tamen vt Legatus Apostolicæ Sedi in omnibus causis, siue per appellationem, siue per simplicem querelã ad ipsum deferantur, procedere potest, cùm in prouincia sua Papæ vices gerat.

SUMMARIVM.

1. Triplex est Legatus Apostolicus. Vnus à Latere Pontificis, siue Cardinalis, alius non à Latere destinatus in Prouinciã; alius Legatus natus.
2. Legati destinati ad Prouinciã dici possunt Vicarij Papæ.
3. Legatus à Latere, vel qui cum simili potestate missus est, habet iurisdictionem

in exemptos, exceptis casibus Sedi Apostolica specialiter reseruatis; alij Legati hanc potestatem non habent.

4. Vnde Legatus à Latere beneficia ecclesiastica etiam exempta, & ad exemptos spectantia conferre potest.
5. Legatus in Prouincia est ordinarius Iudex, ita vt concurrat cum Episcopo in omnibus causis subditorum: eas tamen suscipere nõ debet, nisi ad ipsum per appellationem deuoluantur, vel Episcopus eas intra biennium à die mota litis definire negligat.

S Vpponendum est, quòd triplex sit Legatus Apostolicus, vt sumitur ex c. 1. eod. tit. in 6. Vnus à Latere Pontificis, siue Cardinalis: alius Legatus non à latere destinatus ad Prouinciã. Alius denique Legatus natus, qui munus Legationis consequitur ipsa consecutione Ecclesiæ Metropolitanæ, cui officium seu dignitas Legati in perpetuũ annexa est. Talis in Germania nostra est Archiepiscopus Salisburgensis, in Angliã Archiepiscopus Cantuariensis, in Italia Archiepiscopus Pisanus, in Gallia Archiepiscopus Rhemensis, teste Nicol. Boërio de potestate Legati à Latere, q. 3. In Bohemia Pragensis, vt ex Baldo refert Tuschus ver. Legatus, concl. 157. Videri hîc potest Imola, n. 7. & quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. §. 6.

N O T A N D V M I. Legati Apostolici in Prouincia, ad quam deputati sunt, dici possunt Vicarij Papæ; quia ijs locis Apostolica auctoritate funguntur: Cùm enim Summus Pontifex per totum Christianum Orbem iurisdictionem exerceat, c. cuncta, 17. causa 9. q. 3. ideo in partibus remotis Vicarios suos ponit, qui vice ipsius ordinariam iurisdictionem in omnes de prouincia exerceant, vt videre licet apud Leon. I. epist. 94. Iustinianum collat. 9. tit. 14. Nouel. 131. apud Bellar-

Bellarminum lib. 2. de Pontific. c. 20. Ad eum fermè modum, sicuti supra de Archidiaconis dictum est, quòd quibusdam regionibus in partibus diocesis constituti sint Vicarij Episcoporum, exercentes ordinariam iurisdictionem Episcopis subordinatam.

Quærit Gl. hic, ver. vniuersas; Vtrum Legatus Apostolicæ Sedis iurisdictionem habeat in exemptos? Resp. ex doctrina eiusdem Gl. Abb. hic, n. 8. Mol. cit. disp. 9. n. 10.

3 Quòd Legatus à Latere, aut qui cum simili potestate missus est, in exèptos iurisdictionem exerceat, exceptis casibus Sedi Apostolicæ specialiter reseruatis; sed alij Legati talem potestatem non habeant. Ita colligitur ex c. 1. de verb. signif. in 6. & c. Si Abbatem, 36. de elect. in 6.

4 Ex quo inferunt DD, communiter, quòd Legatus à Latere conferre possit beneficia, spectantia ad collationem exemptorum, etiam si ipsamet beneficia exempta sint, vt videre est apud Garc. p. 5. c. 3. n. 19. Non tamen ea conferre potest, quæ Episcopus confert ex Apostolica delegatione & auctoritate, videl. quæ ad ipsum deuoluta sunt, ob negligentiam Prælati Regularis exempti, Clem. 1. de suppl. negl. Præl. & docet Garcias n. 32.

5 NOTANDVM II. Legatus in Prouincia est Ordinarius Iudex, ita vt concurrat cum Episcopo in omnibus causis subditorum: aded, vt ab inferioribus Iudicibus sub Episcopo constitutis ad Legatum appellari possit, sicuti ad ipsum Episcopum, Quæ est doctrina fermè communiter recepta Guil. Durandi in speculo, tit. de Legato, §. Ioann, Turrecrematæ in c. Si quis veitrum, 4. causa 2. q. 6. Ioann. Andr. in c. quod translationem, n. 10. hoc tit. Abb. hic n. 7. Sed nouo iure Concil. Trident. sess. 24. c. 20. de reformat. Legatorum potestas restricta est, vt causas subditorum prouincialium non cognoscant, nisi Ordinarius intra biennium à die litis motæ numerandum negligat; vel si per appellationem à sententia definitiua ad Legatum deuoluantur. Et in ipso appellationis processu seruari debet constitutio Innocent. IV. in c. Romana, 3. de appellat. in 6. vt præcipit Trident. sess. 22. c. 7. de refor-

mat. Item, quòd attinet ad appellationes in causa criminali, seruari debet constitut. Trident. sess. 13. c. 3. de reform.

CAPITVLVM II.

Studiisti,

PARAPHRASIS.

Si in Prouincia sit Legatus Generalis, & superueniat delegatus Papæ in causa speciali, quæritur, vtrum Legatus Generalis super cognitione, aut processu in hac causa se immiscere possit. Negat Cælestinus III. ea allata ratione; Quia mandatum speciale derogat generali. Si tamen sententia à delegato legitime lata fuit, potest eam legatus confirmare & executioni mandare.

SYMMARIVM,

1. Commissio specialis derogat generali.
2. Potest tamen acta delegati specialiter rescindere Legatus generalis, si ille contra formam mandati procedat.
3. Potest etiam sententiam delegati specialiter rationabiliter latam confirmare.
4. Delegatus autem specialis generales compellere potest ad sententiæ suæ executionem.

NOTANDVM VN. Commissio specialis derogat commissioni generali: Sensus est; Si aliquis generalem commissionem habeat omnia negotia exequendi, aut causas omnes cognoscendi. Alius verò habeat commissionem specialem super causa certa. Specialis iste Commissarius superat generalem, vt is immiscere se non debeat, nec impedire specialem. Ita simili ratione in c. 1. & c. pastoralis, 14. de refer. dicitur, quòd rescriptum speciale deroget generali, tametsi de eorum mentionem non faciat.

Limitat hinc Ioan. Andr. n. 2. Abb. n. 2. Barb. col. 2. Quòd superueniente causa noua, Procurator, aut Commissarius generalis prohibere possit

CAPITVLVM III.

Nisi.

possit speciali, ne procedat, aut formam procedendi eidem præscribere, argum. l. si hominem, 30. ff. mandati, & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. vlt. n. 7. prope finem.

2. Ex hac ipsa limitatione colligitur: Si delegatus specialis contra formam mandati procedat, quod Legatus se immiscere, & quæ acta sunt, rescindere possit: quia vt Barbatia hic notauit, col. 23. Legatus generalis iurisdictionem in negotio speciali habitualiter retinet, vt processum delegati, si contra formam mandati institutus sit, rescindere possit, aut irritum declarare, vt etiam ex hoc c. ducto argumento ex sensu contrario colligitur: Dicitur enim, quod Legatus processum delegati specialis, si secundum formam mandati institutus est, irritare non possit: Ergo poterit irritare, si contra formam mandati actum. Huc etiam pertinet, quod adiungitur, Legatum confirmare posse sententiam delegati, si rationabiliter lata est. Nam huiusmodi confirmatio saltem ad hoc inseruiet, vt eam de nullitate arguere non possit. Alioquin verò, cum auctoritatiuè & iudicialiter facta non sit, sed tantum approbationem, ac testimonium quoddam contineat, ideo firmitatem non tribuit, imò parum confert sententiæ, vt Innocent. hic notat.

4. Quærent hic DD. Vtrum delegatus specialis ad executionem sententiæ suæ Legatum generale compellere possit? Negat Gl. hic ver. confirmare valebit, & alij apud Ioann. Andr. in fine huius c. Nisi Legatus ibi sit etiam Ordinarius, vt in casu c. præced. Sed rectius affirmatur cum Imola n. 5. Abb. n. 5. Quia delegatus in causa sibi commissa Superior est omnibus alijs Ordinarijs, arg. c. sanè, 11. de offic. delegati. Quare ob hanc ipsam rationem delegatus specialis contra Legatum generale, iniuste impedire volentem, per censuras procedere potest, habita tamen ratione dignitatis, iuxta c. pastoralis, 28. de offic. delegati, & c. 2. eod. in 6. Et tradit Cardinal. Tuschus ver. Legatus, concl. 157. quod Iudex Conseruator contra Legatum natum, aut Legatum de Latere, iniuste impedire volentem, procedere possit.

Legatus Sedis Apostolicæ, quamuis à Latere sit, translationem Episcopi, sine speciali commissione ac mandato instituire non potest, cum sacrorum canonum statuta, & generalis Ecclesiæ consuetudo id fieri non permittat. De hac re dictum fuit in c. 1. & toto tit. de translat. Episc.

CAPITVLVM IV.

Quod translationem.

PARAPHRASIS.

Legatus Papæ à Latere, quamuis generalis legationis officium in Regno aliquo sibi commissum habeat, non potest tamen sine mandato speciali ea expedire, quæ Summo Pontifici in signum priuilegij, seu prærogatiuæ specialis reseruata sunt. Neque obstat, quod aliqua huiusmodi, propter longam consuetudinem specialiter committendi, Legati à Latere veluti iure suo expediant, vt cum percussores clericorum à canonis excommunicatione absoluant, non tamen hinc sequitur, quod etiam alia specialia, atque Pontifici reseruata exercere queant, v. g. Episcoporum dioceses vnire, aut diuidere, Primatem creare, & Episcopatus ei subijcere, &c.

SUMMARIUM.

1. *Quæ Principi specialiter reseruata sunt, ea per diuurnam seu immemorialis temporis possessionem cum bona fide suscipi possunt, modo persona absque priuilegio ac concessione capax sit possessionis.*
2. *Aduersus ea, quæ ad supremam Principis potestatem intrinsecè spectant, præscribi non potest.*
3. *Præscriptio non extenditur de casu ad casum, præsertim maioris præiudicij.*
4. *Potestas Legati & absolute, & secundum*

Rrrr

dum

*dum extensionem, aut restrictionem
pendet ex voluntate Papa.*

5. *Nulli, cuiuscunque dignitatis sit, credendum, si asserat, se cum mandatis Principis venire, nisi scriptis probauerit.*

DE casibus specialiter reseruatis Sum. Pontifici dixi in cit. c. 1. de translat. Episcop. & lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 22. cum Gl. hic ver. reseruata, & plures legi possunt apud Hostiensem in Sum. huius tit. §. Quid pertinet. Durand. in speculo, de officio legati, §. 6.

- NOTANDVM I. Quæ Principi specialiter reseruata sunt, ea per diuturnam, seu immemorialis temporis possessionem cum bona fide vsucapi possunt. Ita sumitur etiam ex c. super quibusdam, 26. de ver. signif. vbi Gl. ait ver. non extat; Quod immemorialis consuetudo ius inducat, ideoque opus non sit titulum, seu concessionem allegare: cum ipsa talis immemorialis consuetudo priuilegiata sit, vt vim tituli habeat, argum. l. hoc iure, §. ductus, ff. de aqua quotid. & æstiuâ, & notat Imola hic n. 3. contra Gl. à multis ibi receptam in c. vn. ver. non obstante, de Cler. ægrot. in 6.

Sed limitari debet primò: Dummodò persona absque priuilegio ac concessionem possidere possit: alioquin enim vsucapionem, præscriptionemque procedere impossibile est, argum. c. causam, 7. de præscript. Sic v. g. Legati à Latere, cum sint personæ Ecclesiasticæ, per diuturnam consuetudinem acquirere potuerunt potestatem absoluendi à censura canonis. Sed Reges, seu potestates laicæ talem facultatem nullo vnquam tempore præscribere possunt, cum eius capaces non sint; nisi ex commissione per Pontificiæ potestatis plenitudinem facta, vt docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 3. §. Controuersia.

- 2 Limitari debet secundò: Quod aduersus ea, quæ ad supremam Principis potestatem intrinsecè spectant, præscribi non potest, vt docui lib. 3. Th. mor. tr. 1. c. 8. n. 6. illat. 2. & exemplum affert hic Abb. n. 2. Quod neque Christianus villa consuetudine obtinere

possit, vt Papæ in spiritualibus subiectus non sit: quia ad intrinsecam Papalis potestatis à Christo profectam institutionem spectat, vt omnium fidelium supremus Ordinarius prefector sit.

NOTANDVM II. Præscriptio, cum sit stricti iuris, non extenditur de casu ad casum, præsertim maioris præiudicij. Vt in proposito: Ex eo, quod Legati de Latere vnus casum Pontifici reseruatum, videl. absolutionem à canonis sententia, præscriperunt, inferri nõ potest, quod etiam alias, & alijs maiores causas Sedi Apostolicæ reseruatas expedire possint. Ita notat hic Abb. n. 5. ex Bartol. in l. 1. ff. de itinere, actûque priuato.

Sed contra textum c. obijcit Abb. hic n. 4. Per actus merè voluntarios, seu gratuitos non introducitur præscriptio iuris, secundum receptam doctrinam Innocentij in c. cum Sutrina, n. 5. de causa possess. & propriet. & docui lib. 3. Th. mor. tr. 1. c. 8. n. 8. Ergo ex eo, quod Papa Legatis Cardinalibus ex gratia speciali frequenter concesserit facultatem absoluendi à censura canonis, non potuit hoc ius absolutionis generatim introduci. Resp. Rectè ostenditur hac obiectione, quod præcisè ex repetitis cõcessionibus gratuitis non potuerit introduci ius consuetudinis: Veruntamen, si Princeps Legatis à se missis plerumque facultatem aliquam concesserat, præsumptio esse solet, quod contentus sit, vt etiam alij, qui cum simili dignitate destinantur, tali facultate gaudeant. Quod si Princeps id fieri sciat, & non prohibeat, censetur tacitè consentire, vt temporis diuturni præscriptione opus non sit. Sin verò nesciat, ideoque nec consentiat, tum præsumptio illa conuocit ad bonam fidem ingerendam, cum qua, concurrente temporis diuturnitate, vsucapio absoluetur, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. vit. n. 10. & 11.

Veruntamen per eiusmodi longam consuetudinem, tanquam titulum præsumptum plus non acquiritur Legatis, quam ipsis acquireretur per titulum expressum, seu priuilegij concessionem; videl. vt nihilominus talis facultas absoluendi ipsis non min-

nis, quam alia gratia sine iniuria auferri possint, iuxta ea quae dixi in c. Venerabili, 37. prope finem, de offic. iud. delegati.

4. Ex dictis infertur, quod potestas Legati & absolute, & secundum extensionem aut restrictionem pendeat ex voluntate Papae legantis, ad eum ferme modum, sicuti potestas Vicarij generalis pendet a voluntate constituentis, piscopi. Qua de re scribit. Guilielm. Durandus in Speculo lib. 1. p. 1. de offic. Legati, §. 4. n. 4. In primis, si Legatus in prouinciam veniat, potestatis seu Legationis literas & mandatum Apostolicum exigere possit, argum. c. Ego N. 4. vers. Legatum, de iureiur. & l. vn. C. de mandatis Principum, ubi dicitur, quod nemini, quacunque dignitate fulgeat, credendum sit, si asserat se cum mandatis Principis venire, nisi scriptis probauerit. Cum enim Romana Ecclesia nullam legationem suscipiat, nisi exhibitis literis signatis, c. vlt. d. 97. ideo neque alij Legatos Romanos absque literis suscipere cogunt: Quod enim quisque iuris in alios statuit, eodem ipse vti debet. l. 1. ff. Quod quisque iuris &c. & c. cum omnes, 6. de Constitut. Quamobrem solent Apostolicae Sedis Legati, cum primum in Prouinciam venerint, legationis suae literas publicare, ne quisquam ignorantiam praetendere possit, argum. c. 1. de postul. Praelator. Et Couar. in pract. qq. c. 35. n. 4. testatur in Hispaniae & Galliae regnis nullum Apostolicum Legatum suscipi, nisi prius literas Regio Senatui exhibuerit, idque improbari nulla ratione posse, ait Molina tr. 5. de iur. disp. 9. n. 4. Licet aliter sentire videatur Azor tom. 2. lib. 5. c. 27. q. 8. Id vero fatentur hic Canonistae communiter, & in c. quod super, 7. de Fide instrum. ubi Abb. n. 5. Felin. n. 8. quod propter excellentiam & auctoritatem personae, si Ecclesiae Romanae Cardinalis vel alius notus ac minimè suspectus legationis officium sibi commissum asseueret, ei credi possit, imò interdum ex aequitatis decore credi debeat, argum. cit. c. vlt. saltem quoad ea, quae in generali officio Legati continentur, non ita verò quoad ea, quae specialem commissionem requirunt, & praedicialia esse

possunt; horum enim fidem per literas authenticas Legatus facere deberet, vti etiam docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 22. Quare admonet Durandus cit. loco, & Petr. Andr. Gambarus de auctor. Legati de Latere lib. 1. §. Ingressus verò, vt qui à Legato à Latere dispensationem aliquam (v. g. super impimento matrim. in secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis impetrant) talem potestatem Legato commissam ex literis eius publica Notarij manu transcribi curent: Quamuis ipsemet Durandus moneat, haec raro obseruari, & fidem facile haberi Apostolicis Legatis.

CAPITVLVM V.

Licet.

PARAPHRASIS.

Canonici Tranenses in Episcopum elegerant Guilielmum Fratrem Abbatis Cassanensis: Eam electionem Legatus Apostolicus examinavit, atque examinationem ad Pontificem transmisit: Sed postea nouum super eadem electione examen instituere ausus est. Quo intellecto Innocent. III. rescripsit, posterius examen irritum esse, & inane: quia Legatus super causa electionis, posteaquam ad Sedem Apostolicam transmisit, iurisdictionem nullam habuit.

SUMMARIUM.

1. Legatus super electione Episcopi potest examen instituere; imò Legatus à Latere, vel qui cum potestate à Latere missus est, potest Episcoporum electionem, & aliorum Praelatorum immediate Sedis Apostolicae subiectorum confirmare.
2. Aliàs examen & informationem ad Sedem Apostolicam mittere debet, & ex eo tempore Iudex esse desinit, neque amplius se immiscere debet.

NOTANDVM I. Apostolicae Sedis Legatus super electionis Episcopi examē
Rrrr 2. initi-

instituire potest: Imò, si Legatus à latere vel cum potestate Legati à latere missus sit, electiones Episcoporum, & aliorum Prælatorum Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, confirmare potest. c. Si Abbatem, 36. de elect. in 6. Alioquin examen & informationes ad Sedem Apostolicam mittere debet, & ex eo tempore se non ampliùs immiscere, vt hîc dicitur.

2. **NOTANDVM II.** Si Iudex, examen causæ, seu causam instructam, ad Principem referre decreuerit, & partes approbarint, suspensa interim est eius iurisdictio, vt procedere, vel immutare aliquid non possit. Ita etiam habetur in l. ex illo, 13. C. de appell. c. nomen, 12. quod est S. August. epist. 137. ad Clerum & populum Hipponensem, causa 2. q. 1. Sed cum partium consensu Iudex causam resumere potest, vt Gl. hîc docet. ver. transfulerat, argum. l. 2. C. de relationibus. Veruntamen postquam relatio seu causa instructa Principi presentata est, tum neq; cum partium consensu Iudici cognoscere, aut quippiam immutare concessum est, ne illudatur Principi, vt colligitur ex c. bonæ, 4. de postul. Prælator. & monet Ioann. Andr. hîc n. 4. Imolan. 6. Abb. n. 3. Plura de hac materia docet Ioann. Andr. & alij DD. in c. intimasti, 68. de appellat.

CAPITVLVM VI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Episcopus Prænестinus Apostolicæ Sedis Legatus Roberto Methensi Canonico Ecclesiæ S. Trudonis contulerat: Sed Methensis Archidiaconus molestationes intulit Canonico, non permittens eum pacifica possessione frui, ed quòd ipso inconsulto, ad quem ius præsentandi pertinebat, Ecclesiam adeptus esset. Hoc intellecto, Papa Innocent. III. quibusdam à se delegatis mandauit, vt dictum Archidiaconum, remota appellatione, cogant cessare à molestationibus: propterea quòd Prælatus plus

iuris habeat in beneficiorum concessione, quàm patronus: Neq; patrono præiudicium inferatur, si quando ipso inconsulto Apostolicæ Sedis Legatus Ecclesiam aliquam confert.

SVMMARIVM.

1. *Legatus de latere confert beneficium vacans, licet sint iuris patronatus ecclesiastici, non autem si sint iuris patronatus Laicorum.*
2. *Neque tamen in sex mensibus assignatis per Concordata Germania ordinarij Collatoribus, eos præueniendo, beneficium conferre potest.*
3. *Plus iuris conferitur per institutionem Prælati ad beneficium, quàm per presentationem patroni.*

NOTANDVM I. Legatus Sedis Apostolicæ, si à latere sit seu Cardinalis, conferre potest beneficia, sita in provincia sua, tamen si sint de iure patronatus Ecclesiastici. Sed iuris patronatus laicorum, aut etiam clericorum, si ex bonis patrimonialibus acquisitum sit, Legatus derogare non potest. c. cum dilectus, 28. iun. Gl. magna, de iure patron. Cum neque Papa huic iuri derogare vnquam censetur, nisi exprimat, vt docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. q. 3. & tradit hîc Abb. n. 4. cum Gl. recepta in Clem. 2. de præbend. ver. Apostolicis.

Id verò dubitatur; An Legatus à latere in sex mensibus assignatis per Concordata Germaniæ ordinarijs Collatoribus, eos præueniendo, beneficia conferre possit. Ita affirmat Ioann. Chokier in reg. Cancel. 40. de derogat. iuris patron. n. 75. Garcias. pag. 5. de benefic. c. 3. n. 42. Sed contrarium, vt æquius, magis placet. quod Rotam Romanensisse Aduocati referunt apud Gambarum de potest. Legati à latere circa beneficia, lib. 3. n. 207. Quia Concordata Nicolai V. cum natione Germanica censentur trāsisse in pactum, cui nec Sum. Pontifex derogare solet, licet ex plenitudine potestatis suæ, absolute loquendo derogare possit. Sin autem beneficiorum collatio propter inferiorum Collatorum

latorum negligentiam ad Papam deuoluta sit, Legatus Apostolica auctoritate conferre poterit, secundum Gl. fin. communiter receptam in c. 1. eod. in 6.

NOTANDVM II. Plus iuris confertur per institutionem Prælati ad beneficium, quam per præsentationem patroni. Nam, vt Innoc. hic ait, per collationem, seu institutionem acquiritur prouiso ius in beneficio: non item per præsentationem; sed solum acquiritur præsentato actio personalis contra Episcopum, vt ipsum instituat, si idoneus sit, c. pastoralis, 29. de iure patronatus. Quare hæc est Innocentij ratiocinatio: Si Legatus à latere ordinario collatoris, seu Prælati Ecclesiastico præiudicare potest, præueniendo eum in collatione beneficij, c. si à sede, 30. de præb. in 6. multo magis præiudicare potest patrono Ecclesiastico: cum is minus ius habeat, quam collator: partim quia ille ex gratia habet ius patronatus; collator autem ratione officij, seu dignitatis suæ: partim quia, vt dictum est, præsentatio parum iuris tribuit instituendo, sed multum collatio seu institutio.

Accedit, si in aliquo casu Pontifex, vel Legatus eius beneficium conferat patrono inconsulto, ipsi tamen ius patronatus non auferatur, cum in alijs casibus præsentare possit.

CAPITVLVM VII.

Nouit.

PARAPHRASIS.

Legatus Apostolicæ Sedis mandatum habuerat à Pontifice, vt regnum Franciæ interdito subijceret; quod etiam executus est. Sed Rex Galliæ putabat irritam esse promulgationem, quod facta esset à Legato, posteaquam fines regni Franciæ egressus esset. Sed Innoc. III. respondit, id nihil referre: Quia licet fines regni exierit, non tamen terminos suæ legationis egressus esse; cum non tantum in regnum Francorum, sed etiam in Viennensem, Lug-

dunensem, & Bisuntinam prouincias Legatus destinatus fuerit.

SUMMARIVM.

1. Legatus ad plures prouincias in vna earum existens iurisdictionem exercere potest erga alias.
2. Non autem exercere iurisdictionem suam potest extra legationis suæ fines, nisi voluntariam dispensando, absoluendo, legitimando, &c.

NOTANDVM I. Si Legatus ad plures prouincias destinatus sit, tum in vna earum existens iurisdictionem exercere potest erga alias. Nam sicuti Pontifex in quacunque orbis terrarum parte existens iurisdictionem erga quoslibet Christianos exercere potest, ita & Legatus in quocunque loco prouinciæ aut prouinciarum suæ legationi attributarum iurisdictionem exercet erga prouinciales quoslibet sibi à Papa subiectos. Sed bene monet Abb. hic n. 2. quod Legatus partes non debeat sumptibus grauare, extra prouinciam trahendo, cum possit causam alteri delegare; imò etiam Vicarium constituere, sicuti Episcopus: Nam etiam proconsules, & Præsides prouinciarum (quibus Legati æquiparantur cap. 2. eod. tit. in 6.) Vicarios constituebant, vt colligitur ex lib. 1. tit. 16. ff. de officio Proconsulis, & Legati.

NOTANDVM II. Legatus extra legationis seu prouinciarum sibi commissarum fines existens, iurisdictionem exercere non potest. Ita etiam de Proconsule statutum est in l. 1. ff. de Proconsule: *Potestatem non exercet, nisi in ea prouincia sola, qua ei decreta est.*

Verum bene monet ibi Gl. margin. & Gl. hic ver. terminos. Innoc. n. 2. Abb. n. 3. Quod Legatus extra prouinciam, sicuti & quilibet alius Ordinarius extra dioccesin existens, possit exercere iurisdictionem voluntariam, dispensando, absoluendo, legitimando, beneficia & gratias conferendo, vt constat ex l. 2. ff. de offic. Proconsul. Rationem dedi in lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 2. & seqq. Quia vnica causa, cur Ordinarius extra territorium

Rrrr 3

suum

suam iurisdictionem exercere non possit, ea est, ne iudicij processum instituendo alterius territorij iurisdictionem violare, sibi que arrogare censeatur, c. 2. de constit. in 6. Quae ratione cessante, videl. si nullus iudicij processus, vel causae cognitio necessaria sit, & in iurisdictione voluntaria, vt in absoluteione à peccatis & censuris, in delegatione causarum, aut si causa v. g. excommunicationis inferendae notoria sit, vel denique si Ordinarius loci consensum præbeat, vt docet Nauar. c. 27. man. n. 6. & dicam in c. vt litigantes, 5. de offic. ordin. in 6.

CAPITVLVM VIII.

Volentes.

PARAPHRASIS.

Gregor. IX. Pontifex Apostolicæ legationis officium in prouincia sua commisit Patriarchæ Hierosolymitano; ita tamen, vt si accidat Legatum à latere eò destinari, interim dum ibi commoratur, legationis suæ potestatem Patriarcha non exerceat.

SUMMARIVM.

1. *Officium Legati Apostolici suspensum est, superueniente alio digniore.*
2. *Missio vno Legato, si mittatur postea ad huc alius, prior non censetur ideo reuocatus.*

NOTANDVM I. Officium Legati Apostolici, superueniente Legato digniore, videl. qui sit Cardinalis, seu de latere Papæ, non quidem expirat, sed interim suspensum est. Habet itaque iurisdictionem in habitu, non in actu, vt docet Imola hic n. 4. Ratio est, quæ in textu indicatur: Quia Legatus à latere speciali modo Pontificem repræsentat: ergo æquum non est, vt eo præsentate, quispiam Apostolicam, seu Pontificiam auctoritatem exerceat, nisi Legatus ei causam committendam duxerit. Exinde porro colligitur, quòd neque Legatus à latere iurisdictionem aliquam exercere debeat, si ipsemet

Pontifex in loco præsentat, vt docet Dur. tit. de Legato, §. finitur, n. 5. arg. c. antiqua, 23. §. Dominicæ, de priuil.

NOTANDVM II. Si Pontifex postquam vnum Legatum ad prouinciam destinauit, alium mittat, non ideo prior reuocatus censetur. Ita docet Dur. in speculo, tit. de Legato, §. Finitur, prope finem. Imola hic n. 6. Abb. n. 2. post Gl. communiter receptam in c. 3. causa 25. q. 2. ver. prætermitti, arg. l. 2. C. de testam. tutela, vbi dicitur, quòd testator dando alterum tutorem non censetur reuocare eum, quem prius dederat. Licet aliud sit in procuratore, l. si quis cum, 31. §. Iulianus, ff. de procurat. & c. penult. de procur. Discriminis ratione hic asserti Abb. n. 3. & cit. c. penult. n. 4. Quia Procuratores, si plures sint, accidere facile potest, vt mutuo se impediant, & vnus alteri repugnet: Sed duo Legati, sicuti & duo Vicarij generales & æquales, habent iurisdictionem in solidum; idque interdum necessarium esse potest, vt causæ citius expediantur, arg. l. 1. ff. de officio consulis.

CAPITVLVM IX.

Excommunicatis.

PARAPHRASIS.

Legati, non de latere, ad prouinciam destinati, solos prouinciales ab excommunicatione lata contra Clericorum percussores absolueri possunt, dum in prouincia existunt; At verò Legati nati, seu quibus munus legationis Apostolicæ ratione dignitatis suæ competit, ij neque prouinciales subditos absolueri possunt, nisi talis facultas eis specialiter concessa sit.

SUMMARIVM.

1. *Legatus à Latere, vel qui cum potestate à latere missus est, à die egressus sui in Vrbe vsque ad reditum in Vrbe quoscunque Clericorum percussores ab excommunicatione absolueri potest, modo non sit reuocatus.*

2. *Legatus non à Latere, sed ratione personæ, tantum provinciales absoluerè potest, dum in provincia existit.*

NOTANDVM Vn. Legatus à latere, vel qui cum potestate Legati à latere missus est, à die egressus sui ex Vrbe, vsque ad reditum in Urbem, quoscunque Clericorum percussores ab excommunicatione can. si quis suadente, 17. q. 4. absoluerè potest: dummodo à Pontifice reuocatus non sit, iuxta ea quæ dicam c. seq. Ita per sensum contrarium colligitur ex hoc c. & c. quod translat. supra eod. tit. & tradit Gl. communiter recepta, vermittuntur, Innoc. Imola n. 2. Abb. n. 3. Molinatr. 5. de iust. disp. 9. n. 4. Qui tamen rectè monent, quòd ab alijs casibus Papæ referuatis Legati à latere absoluerè non possint, absque speciali commissione, vti contat ex cit. c. quod translationem. Quamuis contrarium doceat Azor tom. 2. lib. 5. cap. 33. q. 6. vers. Item Legatus.

NOTANDVM II. Legatus non à latere, cui legationis officium, non ratione dignitatis, sed vt priuilegium personale competit, provinciales tantum absoluerè potest, dum in provincia existit. Ita per sensum contrarium colligitur ex hoc c.

Sed dubitatur primò: Vtrum absoluerè possint aliunde aduentantes, seu peregrinos, si sibi canonis censuram contraxerunt. Videtur esse negandum: arg. l. provinciales, 190. ff. de verb. signif. vbi dicitur, provinciales eos dicendos esse, qui in provincia domicilium habent. Nihilominus Hostiens. & Abb. hien. 6. probabiliter affirmant: Quia in materia fauorabili verbum provincialium latè accipi potest, vt omnes tum inhabitates, tum subditos comprehendat. At verò ratione delicti efficitur aliquis subditus iurisdictioni eius loci, in quo deliquit, c. vlt. de foro compet.

Dubitatur secundò: Si subditus seu provincialis in alieno territorio canonis excommunicationem contraxit, vtrum ad provinciam reuersus à Legato absolui possit? Negat Hostiensis in Sum. huius tit. §. Et in quo loco. Sed alij apud eundem, & apud Durand. cit. tit. §. nunc dicamus, n. 11, quos

sequitur Vincentius apud Smolam hic n. 9. & Abbas n. 6. Quia sicuti subditi extra territorium delinquentes ab Ordinario suo puniri possunt, arg. c. cum contingat, 13. de foro compet. ita & absolui.

Dubitatur tertio: Vtrum Legatus subditos alterius provincie absoluerè possit cum consensu Ordinarij eorum. Affirmat Durand. cit. §. Nunc dicamus, n. 9. Sed contrarium magis placet, quod hic Abb. tradit n. 5. vbi generalem regulam tradit, quòd potestas alicui competens ex priuilegio, non possit ita prorogari sicuti quæ communi iure competit. Arbitror verò distinguendum esse; vtrum restrictio potestatis fiat in fauorem Ordinariorum, tum probabiliter dicitur eos prorogare posse, vt dixi in c. i. de suppl. negl. Prælator. An verò restrictio potestatis fiat in fauorem publicum, aut in fauorem ipsius principis priuilegiantis, tum inferiores prorogare non possunt: vt in casu proposito, quando nec ipsi Episcopi ab excommunicatione canonis absoluerè possunt, consequenter nec alijs potestatem extendere, Quare hoc loco dici potest, quòd qui priuilegium dare non potest, neque extendere possit.

CAPITVLVM VLT.

Nemine.

PARAPHRASIS.

Statuta, quæ Legatus in provincia condidit, durant tanquam perpetua, tamen Legatus recesserit. Sin autem causas alijs delegarit, & ante eius discessum citatio facta non sit, iurisdicctio delegatorum expirat.

SUMMARIVM.

1. *Iurisdicctio Legati expirat cum egressu eius è provincia.*
2. *In accessu & regressu ad provinciam, gestas insignia legationis.*
3. *Finitur Legati iurisdicctio quatuor potissimum modis. 1. Si ad certum tempus*

pus datus est, eo finito expirat eius iurisdictionio. 2. Si à Pontifice reuocatus sit, vel sponte prouincia egressus, non reuersurus. 3. Si dubium negotium retulit ad Papam, quoad illam causam iurisdictionio eius extincta est. 4. Morte eius finitur.

4. *Durant Legati statuta, etiam post mortem eius, & legatione finita.*
5. *Non potest Legatus statuta condere contra, sed bene præter ius commune canonicum, quæ ad mores reformandos spectant.*

Ad ea tamen statuta, quæ præiudicialia sunt, requiritur consensus eorum, quorum interest.

6. *Processus iudicialis incipit per citationem expeditam à iudice.*

NOTANDVM I. Posteaquam Legatus Apostolicus è prouincia egressus est, iurisdictionio eius expirat. Quare ex eo tempore non potest causam alicui delegare: cum enim ipsemet iurisdictionem non exerceat, neque alteri eam mandare potest, arg. l. obseruare, 3. ff. de offic. Proconsulis. Et idem est in accessu ad prouinciam, quòd iurisdictionis exercitium non habeat, nisi cum in prouinciam deuenit; nisi quòd ob necessitatem, quia v. g. infirmitate impeditus procedere non valet, alteri demandare possit, sicuti de Proconsule habetur in l. obseruare, 4. ff. de offic. Proconsul. Valere autem argumentum à potestate Proconsulis, aut Præsidis prouinciæ ad Legatum Apostolicæ Sedis, colligitur ex c. 2. hoc tit. in 6.

2. Cæterum in accessu, & regressu ad prouinciam Legatus insignia legationis gestat, atque imperium veluti in habitu tenet, arg. l. 2. & l. VI. ff. de offic. Proconsul. licet non quoad exercitium, saltem quod attinet ad iurisdictionem contentiosam. Quid autem in iurisdictione voluntaria possit, antequam in Urbem aduenerit, ex consuetudine petendum esse, significat Durandus cit. §. Finitur, n. 5. vbi testatur, quòd Legatus in transitu per vias & vicus populo benedicere solet. Pro pleniore intellectu, aduerte ex Hosti-

si in Sum. huius tit. §. vlt. Durando cit. §. Finitur, Gl. in c. præfenti, ver. finitur legatio, eod. in 6. Quòd Legati iurisdictionio quatuor potissimum modis finitur: Primò: Si ad certum tempus datus sit, eo finito extinguitur illius iurisdictionio, arg. c. de causis, ff. de offic. delegati. Secundò: Si Legatus à Pontifice reuocatus sit, vel sponte prouincia egressus sit, non reuersurus, arg. l. 3. ff. de offic. Præsidis: *Præses prouinciæ in sua prouinciâ homines tantum imperium habet, & hoc dum in prouinciâ est, nam si excesserit, priuatus est.* Nota autem, quod dixi, non reuersurus. Nam si prouinciâ ad tempus excedat, mox reuersurus, iurisdictionem non amittit; licet contentiosam cum causæ cognitione, ac pro tribunali sedens, exercere nequeat, vt supra dixi in c. nouit, 7. hoc tit. & docet Gl. in cit. 3. ver. priuatus est, Dur. cit. §. Finitur, primo. Tertio: Postquam Legatus dubium negotium aliquod retulit ad Pontificem, iurisdictionio quoad illam causam finita est, c. licet, hoc tit. Quarto: Morte ipsius Legati finitur eius iurisdictionio: cum officium & potestas legationis ipsi personaliter data sit, ita vt successorem propriè non habeat.

NOTANDVM II. Legatus Sedis Apostolicæ statuta condere potest, quæ sponte naturâ perpetua & duratura sunt, tamen eorum auctor mortuus, aut priuatus sit, vt dixi lib. 1. tr. 4. c. 1. condit. 6. Sed non potest Legatus statuta ferre contra ius commune canonicum; sicuti neque Episcopus, c. quod super, de maior. & obed. & monet Innoc. hic, Imola n. 9. Quia inferior non tollit legem Superioris, arg. c. inferior, d. 21. Sed præter ius commune, quæ ad mores reformandos spectant, statuere potest; cum sit ordinatus Iudex in prouincia, c. 2. iun. Gl. ver. placent, eod. tit. in 6. Ad ea tamen statuta, quæ præiudicialia alijs sunt, requiritur consensus eorum, quorum interest, vt colligitur ex doctrina Innoc. hic, & tradit Abb. n. 7.

NOTANDVM III. Processus iudicialis incipit per citationem expeditam à iudice: quare ex eo tempore perpetua est iurisdictionio delegati; ita vt morte naturali aut ciuili delegantis non expiret. Ita docui in c. gra-

tom. 20. de offic. delegati, & tradit Gl. hic
ver. citatio, Abb. n. 10. & 11.

CAPITVLVM I.

eod. Tit. in 6.

Officij.

Legati Sedis Apostolicæ, qui non sunt è latere Pontificis, ratione legationis sibi generaliter commissæ, beneficia conferre non possunt, sed ad hoc specialem licentiam desiderant. At verò Legati à latere, ratione muneris sui, adeoque veluti ordinario iure beneficia conferunt: quia sicuti honoris prærogatiuà alijs excellent, ita etiam maiore par est eos auctoritate pollere.

NOTANDVM Vn. Sicuti secundum ius Cæsareum nomen præsidis generale est, l. 1. ff. de offic. Præsidis, Proconsul autem maximam inter Præsides provinciarum potestatem, & maius omnibus in provincia post Principem imperium gerebat, l. & ideo, 8. ff. de offic. Proconsul. ita nomen Legati Apostolici generale est. Sed Legati Cardinales maximam inter omnes potestatem, & summum in provincia post Papam imperium gerunt; eò quod è latere Pontificis assumpti, eum propinquius referant, seu repræsentent. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 22. & lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

CAPITVLVM II.

Legatos.

PARAPHRASIS.

Legati, qui à Sede Apostolica ad provincias destinantur, sicuti olim Proconsules ac Præsides, inter ordinarios Iudices numerari debent: quamobrem eorum officium ac potestas morte Pontificis legantis non expirat.

SUMMARIVM.

1. Legatus Pontificius ad provinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam; unde per mortem Pontificis non expirat.

2. Est tamen quodammodo extraordinaria, cum non sit perpetua & stabilis.

3. Vacante Sede Apostolica, Cardinales Legatum ordinariè reuocare non possunt.

NOTANDVM Vn. Legatus Pontificius ad provinciam destinatus habet iurisdictionem ordinariam, ac propriam, quæ proinde morte Pontificis legantis non extinguitur, tametsi iurisdictione vti non cœperit, imò ad provinciam non aduenerit ante obitum Papæ, vti bene docet Gl. hic ver. declaramus, quam referunt, & non improbant Ioan. Andr. & Dominicus, contra Durand. cit. §. Finitur n. 4. Nam Legatus cum primum Vrbe egressus est, dignitatem gerit, ac potestatem in habitu, licet non exerceat ante provinciam ingressum, arg. l. 1. & 4. ff. de officio Proconsul. Ergo, sicuti alij Ordinarij, eam non amittit, donec reuocetur.

Aduerte tamen ex doctrina Gl. in Clem. 2. ver. nolimus, ibid. Zabar. q. 17. de offic. Ordinarij, Mol. tr. 5. de iust. disp. 9. Tametsi iurisdictione & potestas Legatorum Apostolicorum simpliciter loquendo ordinaria sit, esse tamen quodammodo extraordinariam, & superinductam: cum non sit perpetua, & stabilis, sed personæ ita inhærens, vt eà mortuà, vel reuocatà extingatur, & ad successorem transire non censeatur, vti etiam dixi supra.

QUÆRITVR hoc loco: An vacante Sede Papali, Cardinales Legatum reuocare possint? Resp. cum Dur. cit. §. Finitur, n. 5. Gl. cit. & Dominico quod ordinariè reuocare non possint; cum Cardinales vacante sede iurisdictionem Pontificalem non exerceant, sed id solum sollicitè curare debeant, vt Ecclesiæ bonum pastorem eligant, sicuti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 7. At verò si causa grauis & vrgens postulare videretur, reuocare poterunt Legatum; præsertim, si nondum provinciam ingressus sit: ideòque iurisdictione non plenè ipsi acquisita sit. Et verò hoc casu frequentius videri poterit necessarium reuocari Legatum, vt à nouo Pontifice cum nouis mandatis, & instructionibus ad provinciam destinari possit.

CAPITVLVM III.

Præsenti.

PARAPHRASIS.

Si Legatus à latere beneficium proximè vacaturum in Ecclesia aliqua sibi referuet in fauorem certæ personæ, datis executoribus: atque accidat legationem eius prius finiri, (puta per mortem, reuocationem, aut reditum in Urbem) quàm collatio beneficij vacantis facta est, tum referuatio & omnis processus super beneficio irritus censeri debet.

SUMMARIUM.

1. Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi referuare, etiam in fauorem certæ personæ.
2. Pendente vna referuatione sua in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non potest aliam referuationem facere, nec si in beneficijs alijs ad vnius collationem spectantibus aliquod referuauit, potest aliud beneficium in eiusdem Collatoris præiudicium sibi referuare.

NOTANDVM Vn. Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi referuare, etiam in fauorem certæ personæ: Sed non potest ita referuare, vt personæ ius aliquod conferatur ad petendum; cum per tale ius expectatiuæ præbeatur occasio mortem alteri machinandi. Ita habetur in c. 2. de concess. præb. & docet Zab. Clem. 2. de offic. Ordin. q. 3. Anchar. in c. si eum, de præb. in 6. Garcias de benefic. p. 3. c. 5. n. 35. Azortom. 2. lib. 5. c. 29. q. 1. & seqq. & dixi lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 2. ver. præterea, & videri potest Trident. Sess. 24. c. 19. de reformat.

QVÆRIT hîc Gl. ver. finitur legatio: Si Legatus causam alteri delegarit, iurisdictio delegati perpetua censetur per solam citationem. Cur ergo executoris iurisdictio ac potestas non similiter perpetuatur, si in cau-

sa illa procedere cœpit, partes citando, potestatem publicando, &c. Respondet rectè: Quia referuationes beneficiorum odiosæ, ac restringendæ sunt; quippe cum per eas Ecclesiæ grauentur, & ordinarijs collatoribus præiudicetur. Si tamen Papa, vel Legatus ex mandato speciali Papæ referuet beneficium in fauorem certæ personæ, non extinguitur potestas executoris, si in negotio progredi cœpit, vt docet Guil. Dur. tit. de Legato, §. Nunc tractemus, n. 14. Gl. hic ver. finitur, Dominic. col. 3. & constat ex c. si cui, 35. in fine, de præb. in 6. Deinde si Legatus à latere aliquem Canonicum creauit, constituto executore, vt proximè vacaturam præbendam ei conferat, quod executor exequi possit, etiam finita legatione mandantis, tradit Gl. margin. hic: propterea quod Canonico de iure debeatur præbenda, vt dixi cit. c. 10. n. 2. Vide Anchar. in cit. c. si eum.

§. Cæterùm.

SI Legatus à latere in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata beneficium vacaturum suæ collationi referuauit, non potest ea pendente aliam referuationem facere. Et si ex beneficijs alijs ad vnius collationem spectantibus aliquod referuauit, non potest ea adhuc pendente, aliud beneficium in eiusdem collatoris præiudicium sibi referuare. Vide etiam quæ dicta sunt in c. mandatum, 38. de rescript.

CAPITVLVM IV.

Deliberatione.

PARAPHRASIS.

Legatus, etiam si à latere sit, non potest Ecclesias Cathedrales, aut Collegiatas conferre, aut collationi suæ referuare. Idemque dicendum de dignitatibus, quæ in Cathedralibus post Episcopatum maiores sunt, videl. apud nos Præposituræ, si per electionem Capitulum arem prouideri solent, quod Legatus se immiscere, & electores impedire haud possit.

S V M-

SUMMARIUM.

1. Beneficia electiua conferre, aut sibi referuare non potest Legatus à latere, nisi deuoluantur ad Papam, & intra prouinciam existant.
2. Reseruata Papa absq; speciali eius mandato conferre non potest.
3. Nec alicui potest seu in genere, seu in specie facultatem facere accipiendi resignationes beneficiorum, & ea personis idoneis conferendi.
4. Potest tamen alicui committere beneficij resignationem, & hac accepta eidem committere, ut persona idonea conferat.
5. Resignationes beneficiorum liberas & absolutas recipere potest, uti & eas, quæ sunt causa permutationis; non autem quæ sunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ.

NOTANDVM Vn. Legatus non potest se immiscere beneficijs electiuis, ea conferendo, aut sibi referuando. Quia id cederet in præiudicium Electorum, quibus nec Papa facile derogare solet; sed liberam illis eligendi libertatem relinquere, argum. c. cum in illis. 16. §. Illis verò, de præb. in 6. & videri potest Azor tom. 2. lib. 5. c. 28. q. 16.

Sin autem eiusmodi dignitates electiuae aliæ beneficia intra prouinciam existentia ad Papam deuoluta sint, ob electorum vel collatorum negligentiam, tunc Legatus ea conferre potest, sicuti ex communi docet Syl. ver. delegatus, quæst. 13. ver. Quærit, Gambarus de aucto. Legati à latere, lib. 3. n. 620. Erasmus Chokier de iurisd. ordin. erga exemptos, p. 4. q. 30. Garc. cit. p. 5. c. 3. n. 21. post Gl. fin. in c. 1. hoc lib. & tit. vbi ex Goffredo refert, quòd Legatus à latere ea præcipue beneficia conferre possit, quæ ad Papam deuoluta sunt, quippe cuius vices in prouincia gerit. Imò monent Gambarus & Garcias ll. ce. quòd Legato non currat tempus semestre, sub pœna priuationis pro ea vice constitutum in Concil. Lateranensi, c. 2. de concels. præb. Quandoquidem à Legato,

tanquam Apostolicam auctoritatem habente, non fit deuolutio ad Papam.

Cæterum quæ Sumus Pontifex suæ collationi beneficia referuauit, uti videre est in extrauag. Ad regimen, de præb. ea Legatus absque speciali mandato conferre non potest, arg. c. quod translationem, 4. extra, hoc tit. & docui lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 7.

§. Prohibemus.

Legato à latere concessum non est potestatem alicui seu in genere, seu in specie facere, ut beneficiorum resignationes accipiat, & ea personis idoneis conferat. Ratio prohibitionis est. Quia occasione talis commissionis vacatio beneficiorum modis illicitis procurari potest, contra Conc. Lateran. c. 2. de concels. præb. Posset tamen Legatus alicui committere beneficij resignationem, & postquam resignatio accepta est, eidem committere, ut personæ idoneæ conferat, sicuti Gl. communiter recepta hinc docet, ver. vnicuique, & dixi in c. 2. de Vicario, in 6.

NOTANDVM Vn. Legatus à latere beneficiorum resignationes liberas & absolutas recipere potest, uti etiam colligitur ex c. si Abbatem, 36. de elect. in 6. Eas quoque resignationes, quæ sunt causa permutationis, non autem quæ sunt sub conditione, & in fauorem certæ personæ, sicuti ex communi docet Flamin. Parisius lib. 7. de resignat. benefic. quæst. 13.

CAPITVLVM VLT.

Collatio.

SUMMARIUM.

1. Collatio beneficij à Legato motu proprio facta alteri aliud habenti, valida est, modo beneficia incompassibilia non sint.
2. Collatio Ordinariorum cur ob taciturnitatem prioris beneficij non infirmetur, cum tamen collatio Legatorum per taciturnitatem prioris vitietur.

Ssss z

Bene-

Beneficij collatio irrita est, si à Sedis Apostolicę Legato impetrata sit, non facta alterius beneficij prius possessi mentione. Consentit Clem. 2. de offic. Ordinarij.

Verum, si alij Ordinarij beneficia conferant, necesse non est in impetratione beneficij prius habiti mentionem facere, vti habetur in cit. Clem. 2. Quamuis prius dimitti debeat, si vtrumque simul possideri non possit, vt Gl. hic notat ver. mentio. Rationem discriminis inter Legatum, & alios Ordinarios affert Gl. ver. nolumus: Quia potestas conferendi beneficia Legatis de latere concessa est quasi extraordinaria & superinducta, cedens in præiudicium aliorum collatorum, consequenter restringenda: sed aliorum Ordinariorum collatio est naturalis ac fauorabilis amplianda.

Aliam rationem dare possumus ex Zabarel. in cit. Clem. q. 17. Quia Legatus de latere Apostolica auctoritate confert, ideo eius collatio imitatur collationem Papę, quę per

subreptionem impetrata censetur, si prioris beneficij mentio non fiat; propterea quod Pontifex plerumque nesciat, quę quisq; Clericus beneficia obtineat. Quę ratio ferme etiam procedit in Legato à latere: Quare probabiliter dici potest, cum Gl. hic, ver. mentio, & Gl. in cit. Clem. 2. ver. facta, Zabarel. ibid. q. 4 & alijs apud Ancharan. hic, contra Ioan. Monachum hęc, & Lapum n. 6. Simo- tu proprio Legatus beneficium conferat alterum habenti, valere collationem, arg. c. si motu, 23. de præb. in 6. dummodò beneficia impossibilia non sint. Et quę dicta sunt de Legatis à latere, eadem dici debent de alijs Legatis, si ex speciali priuilegio aut delegatione Papę beneficia conferant, vti Gl. tradit in cit. Clem. & ibid. Cardin. Zabarel. q. 2.

Aliorum autem Ordinariorum collationes ideo non infirmantur ob prioris beneficij taciturnitatem, quia ferme notitiam habent, qualia beneficia Clerici singuli possideant.

TITVLVS XXXI. DE OFFICIO IVDICIS ORDINARIJ.

CAPITVLVM I.

SVMMARIVM.

Perniciosam.

PARAPHRASIS.



Piscopi potestatem habent in diocesis suis adulteria, aliaque scelera secundum canones inquirendi, eaque puniendi. Quod si necesse sit, etiam secularis magistratus auxilium implorent; non vt vnus Magistratus alteri præiudicet, (cum discretę eorum potestates sint) sed vt mutuis auxilijs id quod Deo placitum est, exequantur.

1. *Episcopus electus & confirmatus est Ordinarius iudex in diocesi sua in ordine ad Clericos, non exemptos; in ordine ad laicos, si causa spiritalis sint, & mixta.*
2. *Idem est de Prelatis exemptis, qui in subditos suos habent quasi Episcopalem restrictionem.*
3. *Legati Apostolici, Episcopi, & similes Prelati merum & mixtum imperium habentes possunt contra Reos procedere ad pœnam carceris, exilij, irremissionis, verberum, non tamen ad mutilationem & mortem.*
4. *Iudex Ecclesiasticus, si opus est, brachium suum*